

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Assuerus Ampzing

## **Programma In Praelectionem publicam Legum Academicarum**

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734596170>**

Druck    Freier  Zugang



R. U. Progr 1622

1) Progr. Paschale

2) " in prelectione legum

3) " a convivio nationalibus revoca  
1861 bis.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734596170/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734596170/phys_0002)



46.

PROGRAMMA  
*In*  
PRÆLECTIONEM  
publicam

L E G U M  
ACADEMICA-  
RUM.



ROSTOCHI  
*Literis JOACHIMI PEDANI,*  
*ANNO M, DC. XXVII.*

1627.

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTO-  
CHIENSIS

JOANNES  
ASSVERUS

Ampsingus Transisulanus Med.

D. ac Professor.

 *V*ox Gracis vix hoc Latinis Lex dici-  
tur, quam alij à legendo alij à ligando  
dictam volunt: quod omnes eam lege-  
re teneantur, ipsaq; omnes liget & ob-  
liget. Cum autem multæ & varia  
extent Legis Definitiones, pro varia Generis consi-  
deratione: ego eam elegerim quam ponit humanae  
sapientiae princeps Lex est communis civitatis  
consensus: qui scriptis præcepit quomodo  
unumquodq; agendum sit. aristot. de caus.  
civilib.

*L*egum vis omnis in observando consistit. So-  
lon interrogatus, Quo pacto salva esset Re-  
publica? respondit, Si cives quidem Ma-  
gistra-

gistratui obedient: Magistratus autem Legibus. Idem interrogatus, Qualiter civitas benè regi posset? respondit, Si Princeps & Majores secundum leges vixerint. Valer. Max. lib. 3. cap. 9. Huic etiam tribuitur illud, quod Anacharsidi nonnulli adscribunt, Leges aranearum telis esse persimiles, in quibus infirmiora animalcula ut muscae & culices aliaque volatilia minuta haberent, valentiora autem ut vespae & scarabæi aliaque; id genus perrumperent, Vide Valer. lib. 7. c. 2. Laert. lib. I. cap. 3.

Quo e quidem loco non possum non vicem dolere legum Academicarum, quas non Athenis allatas, sed ex Moysis decalogo omnium moralium legum fonte de promptas, cum nonnulli servent: reperiuntur nonnulli Legirupiones Crabrones & Scarabæi monstrosi, qui eas impudentissime perrumpant, omniumque ludibrio & sannis exponant.

Nam commissationibus, compotationibus, ebrietati gula & crapula magno cum vituperio ordinis sui indulgent, & quæ in alijs ordinis sui hominibus reprehendunt, ea ipsi faciunt, & quorum ipsos pudet in propria persona, bac in uxoribus & filiabus designant, ordinem suum dedecente ornatu, auro,

argento, margaritis, vestium coloribus ad vanos  
mundi mores accommodatis. Nec tamen propte-  
rea Legirupa vel Legirupiones Crabrones aut Sca-  
rabaei dici vel haberi volunt, captatis hinc inde argu-  
mentis quibus se à Legirupismo & Scarabaeismo ex-  
cusent. Sed enim verò per quām facile est ejusmo-  
di excusationes calvas repercutere & legirupis Sca-  
rabaei larvam detrahere sequentibus positioni-  
bus.

Qui in alio sui ordinis homine, magno cum su-  
percilio, publicè reprehendit perexiguam fimbriam  
auream, ipse verò interim uxorem & filias suas  
ornat auro argento margaritis & bene fimbriato  
vestitu auri variisq; psittacorum colores amulan-  
te, planeq; ad mores mundi composto: ille Legiru-  
pa crabro & Scarabaeus est, perrumpens cœn telas ar-  
aneorum, leges Apostolicas, I. Timoth. 2, 9. &  
I. Pet. 3, 1.

Qui in alienam familiam irrepit, & à viduis  
aucupatur margaritarum corollas, ad ornandas  
suas filias: ille Legirupa crabro & Scarabaeus est,  
reus perruptarum earundem legum Apostolica-  
rum.

Qui in convivijs suis committit sumptuum e-  
normitatem legibus vetitam: ille Legirupa cœn cra-  
bro & Scarabaeus legum telas perrumpit.

Qui

Qui simul est sacerdos, simulq; Doctor extra  
sacerdotium: ille mores sacerdotem dedecentes,  
non debet excusare prætextu Doctoratus sui. Und  
enim eademq; ebrietate ebrij sunt Doctor & Sacer-  
dos, & ambo uno eodemq; fastu intumescunt, &  
qua pœna unius eadem & alterius. Ambo etiam  
junt athleta & milites Domini, duces gregis qui  
vitæ negotijs implicari non debent, nec à jejunii &  
precibus & sacris meditationibus avocari.

Legirupones Crabrones & Scarabæ erant Pha-  
risai, qvorum facta dictis non respondebant. Nam  
excolabant culicem, & deglutiebant camelum, di-  
cebant & non faciebant, Exedebant domos vidua-  
rum. Assimiles erant sepulchris dealbatis, purga-  
bant exteriorem poculi patinæq; partem, intus pleni  
rapinâ & intemperantiâ, Matth. 23.

Legirupæ Crabrones & Scarabæ erant illi  
pseudo sacerdotes, qvos Lutherus ab ebrietate gula  
& crapula apud Esaiam describit, Esa. 28. v. 7.  
& seqq. & Esa. 56. vers. 10. & seqq.

Zaleucus Legislator Locrensis tam ipse suarum  
legum servans fuit, ut, narrante Valerio, (apud  
qvem Seleucus male scribitur) cum ejus filius adul-  
terij crimine damnatus, secundum jus ab ipso con-  
stitutum, utroq; oculo privari deberet, ac tota civi-  
cas virtuti & meritis patris crimen condonaret:

ipse sibi non pepercit, sed suo prius, deinde filij ocul o  
eruto, usum utriq; videnai reliquit, Valer. lib. 6.  
cap. 5.

Idem Locris legem tulerat, ne quis armatus  
Senatum ingredetur, quam legem cum ipse tan-  
dem tempore belli, per imprudentiam, forte viola-  
ret, atque ejus rei a nonnullis insimularetur: cum  
gladio ipsum se tradens vitam abrupit. Noluit  
scilicet videri Legirupas seu Legirupio, Crabro aut  
Scarabaeus, qui ipse suam legem veluti telam ara-  
neorum perrumperet, ideoque maluit ipsi sibi vi-  
tam abrumpi.

Agathocles rex Siciliae figuli filius, tam fuit  
originis sua & pristina fortuna memor, ut non  
modo in victu temperantiam coluerit, verum etiam  
a vasis aureis & argenteis planè abstinuerit, solis  
contentus fidilibus: quanto magis talis modestia  
deceret servum Christi? I. Corinth. 9, 27. & 2.  
Cor. 6, 3. & Philip. 3, 17. & I. Pet. 5, 3. &c. Ob-  
secro quem tandem putamus statum fuisse Pauli  
Apostoli? cum scriberet, Elurimus & litimus,  
& nudi sumus, & colaphis cædimur, & in-  
certis sedibus erramus, & laboramus ope-  
rantes proprijs manibus, I. Corinth. 4. v. II.  
Equidem non credo ego eum convivia adornasse  
42. ferculorum, nec potasse poculis auro incrusta-  
tis.

sis. Nam penulam circumgestabat non auro & argento sed libris & membranis onustam. Hac ipsius erat splendida supplex, 2. Timoth. 4, 13. 14. Et diebus patrum nostrorum, tres istae virtutes in amore & studio apud Monachos erant, Nuditas rerum omnium, Mansuetudo & Continentia: nunc autem Avaritia, Gula & Intemperantia, Hel. Ab.

Moneo itaq; reverendum Academicum Senatum, reverendos, consultissimos, excellentissimos, clarissimos, doctissimos R. Concilij Dnn. Assessores, ut in tempore pro defensione legum & Statutorum Academicorum sese ceu murum aliquem objiciant, Ezech. 13, 5. Nisi enim vetus & per annos jam plusquam ducentos legibus & statutis firmatum conservatumq; Academiae nostrae politorum seu Municipium partum tectum conservemus: futurum est, ut per ruptis legibus tandem corruat.

Faciam interim quod mearum erit partium, & de more hujus Academiae publicè recitari & prælegi leges Academicas curabo, id quod, volente Deo, fieri die crastino, in Auditorio magno, hora ante meridiem nonā. Ad quem Actum solennem publicum, quā par est humanitate, in vito revig-

reverendos, consultissimos, excellentissimos, clarissimos, doctissimos Dnn. Professores, aliosq; Doctores, Verbi Administratos & Magistros, nec non Studiosam Juventutem universam, moneoq; omnes & singulos, ut dicto loco & tempore omnes convenient, leges legi attente audiant, & ad harum præscriptum mores suos & vitam conforment, neq; unquam, si secus faxint, legum ignorantiam prætendant. P. P. 17. April. 1627.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734596170/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734596170/phys_0011)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734596170/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734596170/phys_0012)



tis. Nam penulam circumgesta  
argento sed libris & membranis  
ipius erat splendida supellex, 2.  
Et diebus patrum nostrorum  
tutes in amore & studio ap-  
erant, Nuditas rerum omni-  
tudo & Continentia: nunc  
tia, Gula & Intemperantia, E.

Moneo itaq; reverendum  
natum, reverendos, consultissi-  
mos, clarissimos, doctissimos R.  
Assessores, ut in tempore pro defe-  
Statutorum Academicorum sece-  
quem objiciant, Ezech. 13,5. Ne  
per annos jam plusquam ducentos  
tis firmatum conservatumq;  
politus seu Municipium partur-  
emus: futurum est, ut perruptu-  
corruat.

Faciam interim quod mearun-  
& de more hujus Academiae pu-  
prælegi leges Academicas curabo,  
Deo, sicut die crastino, in Auditorio  
ante meridiem nonam. Ad que-  
nem publicum, quâ par est bun-

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE265 Serial No. 092

